

## Die Traditionen des Hochstifts Freising (Ed. Bitterauf), Nr. 721

a) In nomine domini dei aeterni. Cum Idcirco Igitur veniens ad sedem sanctam Frigisiensis aecclisiae ubi sanctus Corbinianus confessor corpore requiescit et ubi Erchanbertus venerabilis episcopus eius loci tunc pontifex erat, primo commendans se deo et sancto illo seu cuncte congregationi eiusdem aecclisiae et tradidit ad ipsum sanctum et venerabilem locum omnia et in omnibus quicquid proprietatis eo tempore visus est habere et sui parentes eum hereditaverunt in locis nominatis ad Tagoluingun et ad Gramannesdorf atque Eckilunpurc; ad Tagoluingun videlicet basilicam I in honore coronatorum domini consecratam scilicet prefatus episcopus tradidit in altare sanctae Mariae sicut supra dictum est quicquid iuris iuste habuit et eodem die possidebat in edificiis atque mancipiis seu pecudibus terris cultis et incultis pratis campis perviis rebus mobilibus et immobilibus cum toto questu et conlaboratu quascunque in locis omnibus nihil distrahens quod non tradidisset nisi tantum unam feminam excluserat nomine . . . que iam pridem libertate fuerat concessa. Eo autem modo firmavit veradica sua dicta quasi coram obtutu dei diserta proceribus, ut universalis aecclisiae comerata veradicumque subtitulatione testium esse noscuntur inserta quorum nomina iam pandunt: Primitus Alprat comes. Sigamot. Kernand. Pupo. Reginperht. Reginpoto. Pertolt. Tozzi. Uuillihelm. Meginfrid. Altolf. Husing. Cartheri. Mahtrih. Crimuni. Hrodperht. Sigapald. Isancrim. Nendilo. Kerperht. Alpolt. Selprij. Eparhart. Poran. Atto. Adalgart. Actum indictione VIII. anno incarnationis domini DCCCXLX. anno regni Hludouuici XVIII.

b) Postea venerunt missi Erchanberti episcopi firmissimam rationem tenentes vestituramque eiusdem traditionis accipientes: Herolf presbiter. Sigamot. Reginfrid. Tozzi. Immino. Sigahart. Atto. Crimperht. Crimuni. Egilperht. Kotadeo. Adalperht. Finit feliciter. Amen. Quisquis titulum legat hunc mihimet misereatur. Indignus precemque fundat rogitatve qui vocor Alpunc. Erchanbertus ebs. Valeas vigeasve felix.